C. B. D.

DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA

De

DENUNCIATIATIONE COMPLICUM,

Vom Angeben/

Quàm

In Illuſtri Argentoratenſium Univerſitate,

Ex DECRETO

MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, ATQVE CONSULTISSIMI JCTORUM ORDINIS

Pro

LICENTIA

Summos in Utroque Jure Honores & Privilegia DOCTORALIA Legitime conſequendi

Solenni Eruditorum Examini ſubmittit

ANTONIUS DIEBOLD,

ARGENT.

Ad diem   Menſis Septembr.

ARGENTORATI,

LITERIS JOHANNIS WELPERI.

ANNO M DC LXXI.

SERENISSIMO ATQVE CELSISSIMO

PRINCIPI ac DOMINO,

DOMINO

LEOPOLDO LUDOVICO

COMITI PALATINO RHENI, DVCI BAVARIAE, ac COMITI VELDENTIAE

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME ATQVE CELSISSIME

PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME.

ID Audaciæ ſumpſiſſe pœnitens erubeſcerem, ut æmulatus opimæ laudis palmare faſtigium, meum quoque nomen illis admiſceri poſſe exiſtimarem, qui PRINCIPI ſua ſcripta conſecrare conantur, niſi firmiſſima me conſoletur fiducia, TUAM

TUAM SERENITATEM, piam hanc Audaciam, gratioſiſſimo nutu ſublevaturam, atque animum accepturam eſſe, ad omnia, quæ vel officii, vel gratitudinis lex, à me unquam exigere poterit, promptiſſimum atque ſubjectiſſimum. Majores quidem apud TANTAE CLEMENTIAE Aram offerri debent hoſtiæ, quàm vilia hæc Theſium Inauguralium Capita, quæ TUAM MERITORUM AMPLITUDINEM, ne quidem attingere poterunt. TUA enim Deo Chariſſima, ſeculo Neceſſaria, Poſteris ſalutaris eſt Virtus & occupatio. AETAS quoque TUA, Curis ſufficit & laboribus, quibus ſtrenuè aſſuetus, Reipublicæ aſſervire, occupationes occupationibus vel continuare, vel diſtinguere, id demùm vivere exiſtimas, Triſtibus ſolatium, lætis modum, perplexis perſpicuitatem arduis facilitatem, dare didiciſti. Amicus Amicis, Nec Inimicis Inimicus, Vicinorum ac ſtudioſus Viciniæ. Exteris Comis, AEquus omnibus, Amorem & Venerationem, foris domique mereris. Satis tamen felicitatis atque gloriæ exinde me fœneratum gloriabor, ſi inter prima Publicæ Venerationis argumenta, ſedem ſortietur hoc qualecunque ſanctioris obſervantiæ teſtimonium.

 nium.

nium. SUPREMUS interim PRINCIPUM PRINCEPS, Cujusvis boni largitor, TVAM SERENITATEM, inter Seculi Decora, Vtriusque Reipublicæ, Propinquorum, Clientumque ſolatio, perennante felicitatis nexu, ſoſpitem ſervet, proſperet & florentem: Ita vovet

SERENITATIS TVÆ

Subjectiſſimus

ANTONIUS DIEBOLD.

Classis I.

Generalem deſignans Denunciationis Explicationem.

Cap. I.

De Nominatione ac Deſcriptione Denunciationis.

Thes. I.

ADjuvante Divini Numinis auxilio, prior verborum, ſed potior erit rerum cura, ut *Quintil.Inſt. Orat. lib.* 8. Curam verborum, rerum ſolicitudinem adhibendam eſſe monet: Vanus enim eſt labor, & fragilis eorum induſtria, materiarum cauſas, ſignificationum multitudine perplexas, enodare concupiſcentium. Componitur autem Denunciationis vocabulum ex verbo Nunciare & præpoſitione De. Quæ uti alias ſæpe, ita etiam hic auget nunciationem *l.1.ff.depoſ.*

II.

Plures vero deprehendimus Denunciationis ſumptiones: Denunciare enim 1. eſt, Prohibere, quomodo Ulpianus *in l.5 ff. de Nov. Op. Nunc. & Imp. in l. unic. C.eod.* loqui amant. 2. Deinde Denunciatio eſt, quam vocant Evangelicam, *de qua Doctores ad cap. Novit. 13. x. de Iudiciis, Cujus naturam infra quoddammodo explanabimus.* 3. Nota quoque eſt communis fere Denunciationis ſignificatio, per quam authorem noſtrum, à quo rem à nobis petitam acquiſivimus, vocamus, ut ad judicii veniat auſpicium, reique prætenſæ patrocinium ſubeat,

eat,

eat, quam etiam appellamus Auctoris laudationem *l. 63. §. 1. ff. de Evict. l. 49. ff. de Iudic. Marant. ſpec. n. 5. pag. 243.* quamvis hic ſenſus, ingentem ſortiatur in nobili materia Evictionis effectum, noſtri tamen inſtituti ratio longe alium vocis hujus ſequetur ſignificatum. Nempe ut denunciare ſit, judicii facinoroſum deferre criminis Conſcium & Complicem, **Einen Mißhändler oder Mitwiſſer bey der Obrigkeit Angeben**/ *Iul. Clar. ſent. lib. 5. § ult. q. 7. Dambud. in prax. Crim. c. 6.*

III.

Definitur autem Denunciatio variè *Schard. Lexic. verb. Denunciat.* opinatur eſſe criminis delationem, *per l. 4. ff. ad SCt. Turpill.* quàm autem deſcriptionem omnibus abſolutam numeris non deprehendimus, rectius igitur definitur, quòd *ſit Delatio apud Competentem Iudicem ſine Inquiſitione legitima, ad pœnam peragendam, & legitimè ſubeundam, facta Speccul. de Accuſ. §. 1. in fin.* & Accuſationi maxime convenit, in hoc tamen differt, quod Denunciator ſe non inſcribat, nec faciat partem in Judicio, ſicut Accuſator ut declarat *Salicet. in l. ea quidem. 7. C. de Accuſ.* Maxime autem differunt Doctorum opiniones, in hujus quæſtionis disquiſitione, an excepta inſcriptione Denunciator ceteras juris ſive Accuſationis ſolennitates ſervare teneatur? *Lucas enim de Penna in rub. de Delator. Col. 2. verſ. idem dicunt. lib. 10.* opinari videtur, Denunciantem ſe inſcribere ad pœnam talionis adſtringi: Hocque ſomnium plurimi affingere ipſi adhuc hodie conantur, ſed quam immerito, ex hoc pateſcit, quod in prælaudato loco, non de Denunciatore, ſed de Delatore faciat verba. Quamvis autem ejusmodi denuncians ſe inſcribere non teneatur, ab aliis tamen libelli accuſatorii ſolennitatibus non excuſatur; Expreſſionem enim criminis, Perſonarum, loci, & temporis, etiam in Inculpationibus ſervandam eſſe, per totum ferèmundum obſervatur. Et tradit *Boſ. in tit. de Denunciat. n. 14.* hoc quotidie attendi, ut tales deputati Denunciatores nunquam ſe ſubſcribant ad pœnam talionis, ſed tantummodo deferant in ſcriptis, ſua denunciata

juxta

juxta formulam *Iul. Clar. ſent. lib. 5. q. 7. n. 11.* Ceterum veteribus temporum ætatibus, accuſatores fiſco quoque tenebantur adſiſtere, ac interdum ſuis ſumptibus proſequi, à quibus oneribus hodie autem liberantur Denunciatores. *adde c. veniens. 15. & cap. ſup. his x. de Accuſ.*

CAP. II.

DEnunciatio alias triplex traditur, 1. *Iudicialis*, 2. *Evangelica*, 3. *Canonica*. *Iudicialis* duplex iterum eſt, *vel privata*, quæ fit ad privatum intereſſe & commodum. Hujus in Jure Civili elegantes ſunt Denunciationis ſedes, *ut in l. 49. ff. de Iudic. & paſſ. in tit. ff. & C. de Evict. Et eſt litis ſignificatio actori, judicii faciendi, cauſaq; defendendæ gratia, facta.* Dixi ejusmodi nominationem eſſe nudæ litis ſignificationem, adeo ut per Denunciationem judicialem ipſi authori lis mota ſignificetur, & ſatis commodè ſignificatio Denunciationis conſtituatur genus. Eſt igitur hæc Denunciatio non de re quavis, ſed duntaxat de lite ſucceſſori mota; Illud tamen præſumendum, Denunciantem contra authorem regreſſum habere de Evictione, aliter inutiliter deferre. Proinde quiſquis ſciens rem alienam acquiſivit, denunciare nequit: qui enim propria culpa ſentit damnum, non videtur ſentire, *l. 202. ff. de R.I.* Ceterum, privatam quoque appellitant Denunciationem, quando aliquis filius vel ſervus, indebitè opprimitur à Patre, vel à domino, & idem in omnibus aliis miſerabilibus, à potentioribus injuſte oppreſſis; Hoc enim denunciare in judicio poſſunt, ut releventur, ſicut notat *Specul. in tit. de Denunciat. Marant. ſpecul. pag. 216. n. 3.*

II.

Publica deinde eſt, quando in judicio deducitur aliquod crimen, ad publicam ſpectans vindictam, qua denunciatione præcedente, judex inquirit de illius facinoris certitudine. Judicis enim, vel Magiſtratus, Juſtitiarii, aut Fiſci officium eſt, priusquam Denunciationem criminis acceptent, diligenter introſpicere, perſonæ inculpantis qualitatem, ingenium,

genium, mores, omnesque conditiones, nec non accurato perſcrutari judicio, ſingulas tam nominantis, quam Denunciati, aliarumque rerum circumſtantias, ne cui temerè odioſam pariat moleſtiam, ac fruſtra in graves inducat impenſas, quod hujusmodi rerum neglectu, facili poteſt fieri negotio.

III.

Jam valde notanda nobis obvenit *Denunciatio Evangelica.* Per eam enim reparantur multa, quæ ſunt auxilio Juris Civilis deſtituta. Et dicitur Evangelica, quod habeat originem ab Evangelio. Traditur enim *Matthei c.* 18. *& Luc.* 17. Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum primo inter te & ipſum hæc eſt prima monitio. Et ſi te non audiverit, adhibe tecum unum vel duos & hæc eſt ſecunda monitio. Quod ſi te non audiverit, dic Eccleſiæ, & hæc eſt Denunciatio Evangelica, cujusdam privati ad privatam utilitatem, nempe quando quis denunciat peccatum occultum, motus ex proprio intereſſe, & privato commodo, *c.* 2. *in fin. x. de Appell.* Sortitur autem hæc Denunciatio locum de jure Evangelico, & in foro Eccleſiaſtico, *cap. Novit.* 13. *x. de Iudiciis.* bina tamen prius præcedente monitione, *in dicto cap. Novit.* 13. Ceterum contra denunciatum tria concludit hæc Denunciatio 1. *Oris confeßionem.* 2. *Cordis contritionem.* 3. *& per conſequentiam operis ſatisfactionem*, quæ fit per extrinſecam reſtitutionem. Forma autem eſt hujus Denunciationis, quando aliquis rem tenet, indebite alienam, cum peccato; Et poteſt is qui prætendit intereſſe, judicem adire Eccleſiaſticum, libellum formando, atque eum offerre Eccleſiæ, ut eum corrigat à peccato, & compellat ipſum per conſequens ad rei reſtitutionem, duabus autem ſecundum Evangelii formam monitionibus non præcedentibus privatis, hanc non procedere Denunciationem ipſi etiam Canonum Doctores opinantur, *vid. Specul. in tit. de Denunciat.* §. 2. *verſ. idem opponitur, & verſ. quod autem.* Judex igitur principaliter per hunc inculpationis proceſſum, intendit corrigere Denunciatum à peccato. Cenſetur enim iſta Denunciatio

chari-

charitativa, verùm quia à peccato deſiſtere nequit, nec pœnitentiam agere, niſi rem ablatam reſtituat, ideo per conſequentiam conſtringit denunciatum ad rei reſtitutionem, non ſolum per cenſuras Eccleſiaſticas, verum etiam per miſſionem in poſſeſſionem.

IV.

Ex his igitur principiis, dicimus, quod ſi ſit lata ſententia injuſta in favorem alicujus, & tranſivit in rem judicatam, licet ſuccumbens ſit ab omnibus excluſus juris remediis, tamen is qui obtinuit, ſi ſciverit, ſe injuſto accepiſſe titulo, poteſt Eccleſiæ denunciari, & compelli, ut rem redhibeat alienam, quam minus juſte detinet & à peccato deſiſtat. Conſtare autem poteſt de conſcientia obtinentis, quando forte confiteretur extra judicium, ſe injuſte rem obtinuiſſe, *Marant. ſpec. pag.* 217. *de Denunciat.* Et hujus rei elegantem reddit rationem *Menoch. de Arbitr. jud. caſ.* 474. quòd nempe res judicata retractari poſſit in foro etiam judiciali, res enim judicata non fulcitur ipſa veritate propriè, ſed impropriè, nempe præſumptione juris & de jure, qua tamen contrariam admittit probationem ex confeſſione partis. Adeo ut quando clarè non conſtat de injuſtitia rei judicatæ, ſed ex conjecturis tantum, hanc Denunciationem nihilominus locum ſortiri, communiter à Doctoribus aſſeratur. Interdum tamen hæc Denunciatio Evangelica valde eſt periculoſa, maximè quando crimen omnino eſt occultum; ſecretum enim Denuncians peccatorem Eccleſiæ, deficiente probatione, inculpato ad reſtitutionem tenetur famæ, & ſi nequeat reſtituere, ſatis ei de pecunia facere adſtringitur: ſecreta autem hujusmodi Denunciatio, juramento probatur denunciantis, & facta cum uno teſte, affirmatur per illum teſtem, & juramento Denunciantis, *Bertach. in Repert. verb. Denunc.*

V.

Prohibetur autem Evangelicè Denunciare, 1. Criminoſus, huic enim obſtat exceptio criminis *Gloſſ. ad dict. cap. Novit.* 13. *x. de judic.* Imprimis ſi in crimine perſeverat. Nam ſi non perſeverat tunc, etiamſi ex eo facinore ſit factus infamis,

à Denunciatione tamen non arcetur, *Bertach. d. l. in verb. Denunc.* Deinde Denunciari prohibetur 1. Pupillus quamvis doli capax ac tutus præſcriptione, 2. Advocatus; 3. Medicus, qui nimis magnum ſalarium receperunt. Contra hos, horumque heredes hæc Denunciatio Evangelica nihil operatur, quia propter conſenſum partis ſolventis non debeat fieri reſtitutio. *Bertach. de loco.*

VI.

Memorabilia jam inter Judiciale ac Evangelicum Denunciationis judicium nobis obveniunt diſcrimina; 1. Nomine differunt. 2. In judiciali ſola concluditur rei reſtitutio, in alia ſecus. 3. In Evangelica Denunciatione duæ ſufficiunt monitiones, in judiciali exiguntur tres. 4. Quod in omnibus iis cauſis, in quibus ſecularis judex, quacunque lege vel ſtatuto jus dicere prohibetur; locum invenit hæc Denunciatio Evangelica. Eſt enim remedium in Juſtitiæ ſubſidium adinventum, *vide alias hujus rei differentias ap. Card. Tuſch. verb. Denunciat.*

VII.

Tertium jam ſupra laudatæ Diviſionis nobis occurrit membrum, *Denunciatio nempe Canonica*, ex eo ita dicta, quòd à ſacris fuerit introducta Canonibus, quæque duplex eſt, *Specialis ſive Privata*, quæ fit per eum, cujus intereſt habere bonum Prælatum, Adminiſtratorem, vel ſubditum, ut primo bis monitus, ſi eſt incorrigibilis, removeatur ab officio, & de hac loquitur textus *in c. 1. de Offic. Cuſt. & in cap. licet Hel. 31. de Simonia*: *Generalis vel Publica*, quando agitur de matrimonio diſſolvendo, & de ejus impedimentis, *c. ad diſſolvendum 13. de deſponſ. impub. in cap. cum inhibitio 3. de Clandeſt. Deſp.* ut quando volunt contrahere matrimonium, & tertius denunciat Eccleſiæ impedimentum conſanguinitatis, vel aliud ſimile, *ita declarat. Specul. de Denunciat. §. 2. verſ. Canonica, Maraut. ſpecul. de Denunciat. pag. 216. & ſeq. Bertach. in Repert. Iur. verb. Denunciat.*

Cap. III.

De Perſonis Denunciantium.

I.

ANtiquis temporibus deputabantur à Magiſtratibus ejusmodi officiales, vel delatores publici, qui officii neceſſitate delicta denunciarent, *l. 6. ff. de Cuſt. reor. l. 6. §. 3. ad SCt. Turpill.* quique Irenarchæ appellantur, *l. ult. §. 7. ff. de muner. & honor. l. unic. C. de Irenarch. lib.* 10. Quorum partes ſunt, virtute juramenti præſtiti, crimina benè legitimeque judicibus, Magiſtratibus, juſtitiariis, vel officiariis denunciare, iisque non ſolum in levibus facinorum generibus, ſed etiam in magnis gravibusq; delictorum malis, fides eſt habenda. An autem notoria officiales teneantur inculpare facinora, non mediocre eſt inter Doctores certamen? Tutiſſimum eſt eorum ratiocinium, juri contrariam, hac in quæſtionis diſquiſitione, ſervari conſuetudinem, qua ejusmodi perſonæ non modo poſſunt, ſed etiam ex neceſſitate officii tenentur denunciare delicta notoria, & hoc ſub pœna in ſtatutis civitatum expreſſa. Excuſantur autem hujusmodi delatores, maleficia non denunciantes, ſi facinus ita occultum ſit, ut ad aures officialis vix pervenire potuerit. *Iul. Clar. lib. 5. quæſt. 7. num. 4.*

II.

Irenarchæ autem hujusmodi, an teneantur ea deferre crimina, quæ ſunt de jure impunita, puta ſi occiſus ſit bannitus, qui ex forma ſtatuti, impunè poſſit interfici? Huic dubio variè obveniunt Doctores: accuratius ſentientes exiſtimant, tutiora eſſe affirmantium caſtra, quia ipſis officialibus non competit judicare, an punibile ſit delictum, nec ne? *Bartol. in l. ſi quis in gravi ff. ad SCt. Syll.* adeo ut in practica ex conſuetudine teneantur, quaſcunque offenſiones, & mortes violentas, etiamſi caſu contigiſſe dicantur, judici denunciare; Plerumque enim crimina doloſè commiſſa, caſui ſolent

imputari. Conſultum igitur eſt, ut ad notitiam perveniant judicum, ut rei veritas detegi poſſit.

III.

Animadvertendum tamen eſt, non ſolum officiales ad hoc deputatos, ſed etiam alios ad Denunciandum admitti; de conſuetudine enim paſſim ſervatur, ut quilibet ad judicis accedat tribunal, & denunciet injuriam, ſibi vel alteri factam, ex cardinali ratione, ne aliquo modo facinora pertranſeant impunita, *Jul. Clar. lib. 5. q. 7. n. 7.* Deinde ex Canonibus omnes quoque, quorum intereſſe ratione aliqua poteſt probari, admittuntur, *c. 3. x. de Accuſ. ibiq. Panorm. ejusq. ſequaces.* Indubiè etiam is denunciat, qui eo ſpectat, ut ipſius delati conſulat ſaluti, ut hoc pacto, nempe juſta atque Evangelica correptione ſuperioris, tandem reſipiſcat, & metu ac pudore perterritus, coerceatur, ne liberius peccet impunitusque: Quisquis vero alio animo confratrem deferre paravit, jure ab hujusmodi denunciatione rejicitur, *arg. C. repelluntur 7. & c. qualiter 17. x. de Accuſ.*

IV.

Omnibus autem non patent judicis aures, ſed plurimi veritatis hoſtes, ac ſuſpectæ fidei, non immerito prohibentur; in magnis enim rerum momentis, levium teſtium dicta patrocinari, imprudentis eſt viri, cum in iis ſubdifficilis, imo nulla imprimis in criminum nominatione, eſt reſtitutionis via. Quamobrem rectè ab hujusmodi delationibus delictorum arcentur, 1. *Infames c. 1. x. de Accuſ.* iniquus enim eſſet judicii ordo, ſi ejusmodi hominem, vitæ non integræ, vel infamiæ macula conſpurcatum, in criminali inquiſitione aliquam ſortiri fidem concederemus, qui tamen in rei Civilis, etiam minimæ, probatione, nec aliquod eſſe poſſit certitudinis inſtrumentum. Deinde cum pro ſe ipſo nequeat facere fidem, cur pro aliorum pernicie eos admittamus? Hæcque adeo vera eſſe opinor, ut nec admittatur infamis, in iis etiam inculpationibus, quarum lucem aliunde mutuare non poſſumus, niſi ab hujusmodi infamoſo homine. Summa enim interdum innocentiæ gloria, exinde periclitari poſſet: Imo omnibus

pro-

probationum præſumptionumque generibus, deficere incipientibus, ad hos contaminati nominis viros, decurrendum eſſet, quorum intereſt mendacia non interire, quod abhorremus. Deinde repelluntur à Denunciatione 2. *Conſpiratores per c. cum dilect. 18. x. de Accuſ.* 3. *Inimici per cap. repelluntur 7. x. eod.* non enim ex odio, aut ea quis debet conditione denunciare, ut delinquens puniatur, aliqua vel canonica, vel legali pœna, ſed eo duntaxat ſpectare, ut ipſius denunciati conſulat ſaluti, *vid. Iul. Clar. lib 5. ſent. q.* 7.

CAP. IV.
De Forma Denunciationis.

I.

INterna Denunciationum forma conſiſtit in veritate, has enim veras eſſe oportet, veritatem autem unde haurire poſſimus, jam ſupra innotuit, nempe ex variarum circumſtantiarum inquiſitione, à judicis facienda integritate. Magiſtratus enim, vel alius quisque officiarius, Denunciatione exaudita, inquirat, vera ne ſit, an falſa ejusmodi inculpatio. Et ſi denunciata, cuncta vera reperiat, in delinquentem juſto procedat zelo; ſi vero inimicam aut falſam deprehendat denunciationem; An judex inculpantem ad detrimenti, ac totius juſtitiæ reparationem, condemnare debeat? non eſt uniforme Doctorum arbitrium: Communiter autem pronunciarunt, teneri ejusmodi Denunciantem ad refundendas impenſas. Sed quidquid ſit de jure, hodie de conſuetudine iſti Denunciatores publici non puniuntur propter calumniam, nam Denunciant ex neceſſitate officii, & per conſequentiam omnis ceſſat præſumptio calumniæ, à qua etiam liberantur, quamvis delicta judici denunciata non probent; ſecus tamen eſt, ſi appareat de vera calumnia, nam hoc caſu communis procederet opinio, ut nempe in impenſas, & fortè etiam gravius judicis puniantur arbitrio.

II Ex-

II.

Externa autem eſt Denunciationis forma, ut officialis ad hoc deputatus, notificet judici, maleficium eſſe tale, à Titio, vel alio commiſſum, & eſſe informatum Petrum & Johannem, ſic enim uſus obſervat, *ut dicit Angel. de Maleſ. quem refert Practica Conradi fol. 236.* Sufficit enim ſe detuliſſe magiſtratui, hoc vel illud facinus eſſe perpetratum; non autem tenetur ulterius aliquid facere, ſed relinquit judici, cujus partes ſunt, ſtatim inquirere de delicti certitudine, examinando teſtes in ipſa inculpatione nominatos, etiam alios à quibus haberi poſſit veritas. Rectè igitur hoc loco quæritur, an Denunciator teneatur probare, vera eſſe quæ dixerit? Quamvis de jure adſtringatur docere, ſua vera eſſe denunciata, *per l. Divus. 14. l. ab Accuſ. 6. §. nunciatores. 3. ff. ad SCt. Turquill.* Communis tamen uſus & practica hoc non obſervat, jurare tamen in quantum Magiſtratui, officiario, aut fiſco placet, interdum obligatur, ſuam inculpationem prorſus veritati eſſe conſonantem, neque facere calumniæ cauſa *cap. veniens 15. & c. ſuper his 16. x. de Accuſ.*

III.

Quærunt autem Doctores, an ſufficiat nominare teſtes delicti conſcios? Affirmantium partes communi accipiuntur applauſu. Officialis enim ſuo officio ſatisfacit, ſi in ſchedulam Denunciationis inſcripſerit nomina teſtium, de Denunciatis melius informatorum. Hæc autem omnia procedunt, quando ad notitiam Denunciantis nomen delinquentis & teſtium pervenerit; ſi crimen vero ei eſt occultum, ſufficit, nomina ſi dicat eorum, à quibus intellexit, & tunc judex mandat denuncianti, ut pleniori inſtituta inquiſitione reddatur certior.

CAP. V.

De Denunciationum Materia.

I.

JUra Civilia hanc materiam, maximopere reddiderunt illuſtrem: In perplurimis enim rerum cauſarumque deciſionibus,

ſionibus, Denunciationis hujus neceſſaria eſſe videtur doctrina. Nam ſola Evictionis aliarumque litium præcepta, propter alienas res inſcienter ſibi comparatas, inſtitutarum, quam maximum etiam in judicialibus indicant hujusmodi Denunciationis uſum. Omittam novi operis nunciationem, & alios ejus vocis ſignificatus, quorum meminit Imp. *in l. 87. §. 1. ff. de Leg. 2. l. 23. ff. de Obl. & Act. & alibi* de quibus plura facere verba non conſtituimus. Quocirca ad criminalis Denunciationis deſcriptionem recta deveniendum eſt via. Deprehendimus autem hujus inculpationis materiam eſſe delicta, quorum coercitio publicam præ ſe fert ſalutem, *l. 51. ff. ad leg. Aquil. l. 13. de off. præſid.* lædit enim ejusmodi facinus tanquam factum improbum ſocietatem Civilem. *Ludvvell. Exercit. 15. th. 1. lit. d. Harprecht. ad princ. Inſt. de Oblig. quæ ex delicto naſc. n. 4.*

CAP. VI.
De Denunciationis Fine.

I.

HUjus Denunciationis diverſa eſt finis conſideratio. Duplex enim eſt; vel *ultimus*; vel *intermedius*. Hic eſt inquiſitio, quia judex Denunciantis audita Denunciatione inquirit, vera ne ſit an falſa ejusmodi nominatio, ex quo ultimus eruitur finis, effectui maxime conformis, ut ſi cuncta reperiat vera, denunciatus legitimam det judici pœnam, de quo poſtea. Sit autem hic nobis locus inquiſitionis naturam penitius intueri. Eſt autem *inquiſitio, legitima judicis ex officio procedentis ſuper delicto informatio. Carpz. part. 3. pract. Crim. q. 107. n. 5.* Quæque *generalis* eſt vel *ſpecialis*. *Illa* inſtituitur ad id, ut ſciatur, quæ famæ origo? an delictum, & à quo præſumptio eſt, ac probabiliter commiſſum ſit? Inſtituitur autem ſpecialis; adverſus certam perſonam, ob delictum, de quo, quod commiſſum ſit, ex generali apparet inquiſitione; quibus autem modis inter ſe differant *vid. ap. Ioh. Brunneman. in tract. de Inquiſit. c. 2. n. 4. & ſeqq.*

II.

Inquirere autem poteſt ſolus Magiſtratus, ejusque officiarius, aut fiſcus, ſufficienti maleficiorum animadverſione vel criminali cognitione inſtructus. Inquiſitori tamen plurima occurrunt obſervanda, 1. Ut ſit judex competens, cui crimen fuit inculpatum. 2. Ut delictum illud in jurisdictione ſua commiſſum ſit, *l. 1. & in Auth. qua in provincia. C. ubi de crim.* 49. alias ipſo jure inquiſitio eſſet nulla, *l. 1. C. ſi à non compete judic.* Fruſtra enim quis inquiret in crimina, qui non habet animadvertendi poteſtatem *arg. l. 3. ff. de jurid.* 1. *Carpz. part. 3. Pract. Crim. q.* 104. *n.* 62. 3. Ut crimen nominatum ſit atrox, non enim inquirendum eſt, niſi de majoribus criminum generibus, puta læſæ majeſtatis, Homicidii, Sodomiæ, Simoniæ, Adulterii, inceſtus, Raptus, & hujusmodi aliis. De levibus autem ac diſſimulandis nequaquam inquiritur *l. 6. ff. de Accuſ. c. inquiſitiones* 21. *x. de eod.* 4. Ut præcedat fama veriſimilis, quæ judicem de perpetrato crimine indagando excitat. 5. Ne fama hæc præcedens à malevolis, criminoſis, inimicis, vel ſuſpectis affingatur, ſed potius ab honeſtis, prudentibus, & veridicis. 6. Ut certum ſit, crimen eſſe commiſſum, de quo facturus eſt inquiſitionem; contingit enim aliquando, fieri informationem de homicidio, nec tum perpetrato, denunciatione ex levi rumore facta. 7. Ne judex à forma inquiſitionis recedat legitima. Si enim in iſtis peccaret, totus annullaretur inquiſitionis actus. Attendere autem debet 1. per quem facta ſit denunciatio, 2. quando, 3. quo loco, 4. cujus juſſu, 5. ætatem quoque, qualitates, 7. Domicilia teſtium, & hujusmodi alias circumſtantiarum varietates.

Cap. VII.

De Effectu Denunciationum.

I.

Operantur autem hujusmodi Denunciationes, ut judex præcedente inquiſitione, ſi vera reperiat, delicta eſſe perpetra-

petrata, denunciatum torturæ aut ſubjiciat, aut ordinaria puniat animadverſione, ſive corporali, ſive Civili. Dixi legitimâ inquiſitionis viâ. Judex enim de plano nudæ denunciationi facere non debet fidem, neque ad ipſam condemnationem properare. In pœnis graviorum delictorum capitalibus, nullum eſt reſtitutionis remedium, capite enim ſemel truncato, ſubſtitui aliud non poteſt. Quotidiana enim conteſtatur experientia, ſæpiſſimè fieri, ut aliquis, à ſuo inimico, criminis inculpetur conſcius. Imprudentis igitur viri eſt judicium, eorum dictis, infallibilem ac ſacroſanctam facere fidem, & absque omni cognitione, ad pœnæ executionem properare; hac tamen reſervata limitandi ratione, niſi leve ac minus grave denunciaretur facinus, quod etiam de plano, nulla prævia criminis inquiſitione puniri poſſe, inquit Ulpianus *in l. 6. ff. de Accuſ. c. inquiſition. 21. x. eod. Hippol. de Marſil. pract. Crim. § principium n. 18.* Ceterum non ſufficit aliqualis inquiſitio, ſed ſecundum requiſita, tam ſupra conſignata, prorſus conformis, alias ipſo jure nullam eſſe, recte Doctores opinantur, quia in civilibus negotiis accurata rei exigitur cognitio, eaque ommiſſa, totus annullatur proceſſus, cum in criminalibus ea omitti debeat. Cum longe majores ſecum ferat conſequentias, ac irreparabilia incommoda, ſi neglectu ejus, ad pœnæ condemnationem judex ſtatim progrediatur. Ex criminis enim inquiſitione, eruitur veritas, ſecundum quam magiſtratus debet judicare.

II.

Quale autem Denunciantis dictum faciat indicium, Doctores non conveniunt, ad inquirendum autem ſufficiens eſſe, communis eruditorum ſchola opinatur; Denunciatio enim eſt via, quæ judici aperitur, ad cauſæ cognitionem, & ſuccedit loco diffamationis, vel querelæ, quæ magiſtratum ad inquirendum ex officio impellit. Dicitur autem, judicem procedere ex officio, quando præcedit ſola denunciatio, ſicut quando præcedit, ſola querela, vel ſola diffamatio. Hæc autem omnia intellige de Nuda Inquiſitione i. e. ad recipiendum indicia, ſive informationes, contra reum. Non autem

de inquiſitione citationem, incarcerationem, vel aliud quippiam præ ſe ferente. *Et ſic communiter Obſervat. praxis.*

III.

Quale autem faciat indicium, Denunciatio ejus, qui vidit reum committentem maleficium? *Bartolus in l. fin. ff. de quaſt. & 131. ff. de jurejur. cumq; eo pleriq; Doctores*, recte arbitrantur, ſi Denuncians ſit integræ famæ, ad torturam ſufficere, quia unus teſtis omni exceptione major, in cauſis Civilibus facit ſemiplenam probationem *per d. l. 31. ff. de jurejur.* Jam vero quod in Civilibus facit ſemiplenam probationem, in criminalibus facit indicium ad torturam, *Hypol. de Marſ. pract. Crim. §. diligenter. n. 2. & ſeqq.* Ceterum Denunciatio, quæ fit per officialem, conſtitutum à quolibet Judice, vel Univerſitate, merum vel mixtum Imperium habente *l. 1. §. quotiens. ff. de off. præfect. l. Divus ff. de Cuſt. reor.* Si inculpantis confirmatur jurejurando, & cauſa redditur ſcientiæ, indicium operatur, ad citationem, vel incarcerationem ſufficiens. Deinde autem ſi Denunciator ipſe de delicto nihil deponit, ſed dicit alios eſſe informatos, tunc nihil aliud ejus dictum facit, niſi quod viam aperiat judici ad inquirendum, & non poteſt ſuper eo procedi, niſi legitima adſint indicia, & hæc eſt communis Practicorum opinio. Hiſce autem generalibus Denunciationum præmiſſis, ad ſpecialiora Denunciationis Complicum, ſive ſociorum criminis, properandum eſſe, præcipit inſtituti mei ratio.

CLASSIS II.

De Denunciatione Complicum in ſpecie.

CAP. I.

De Denunciatione ſociorum criminis.

Theſ.

THES. I.

QVamvis non deſint Authores, qui nullam Denunciationibus hujusmodi tribuant veritatem, quorum princeps eſſe videtur *Ioh. Franciſcus Ponzinibius in tract. de Lamiis*; id tamen magna cum divini Numinis injuria, pernicie animarum, ac evidenti Reipublicæ detrimento. Deinde ſomniant plurimi, ideo ſocium non teneri, ſocii ſui prodere maleficium, quod unusquisque teneatur ſervare ſecretum ab amico ſibi commiſſum. Sed quam iniquus hic ſit ratiocinandi modus, cuique abunde patet. Privatum enim hoc Amicitiæ præceptum, publicam impugnare non debet ſalutem, cujus intereſt delicta non manere impunita. Sunt autem *criminis ſocii, qui Auxilium conſiliumque in perpetrando facinore tulerunt*, *Carpz. pract. Crim.* 2. *q.* 87. Conſcios vero criminis diverſa eſt conſiderandi ratio, una, quando conſcius ſimul eſt delicti particeps, ut in *l.* 7. *C. de pagan. l.* 16. *pr. ff. de pœn.* qualis etiam hoc loco accipitur. Deinde qui absque ulla participatione, ſolummodo ſcivit maleficium aliquod eſſe commiſſum, ut in *l.* 2. *ff. ad Leg. Pomp. de parricid.* An autem aliquis ob ſolam ſcientiam delicti jam commiſſi, ſi id non revelavit, pœna aliqua teneatur, eleganter diſquiſivit *Carpz. pract. Crim. part.* 1. *q.* 11. *n.* 55. & *part.* 3. *q.* 134 *n.* 86. & *ſeqq.*

II.

Maximum autem eſt inter Doctores diſcrimen, An hujusmodi ſocii ad Denunciationem admittantur? Negativam ſententiam expreſſa Imperatorum jura patrocinantur, *l. fin. C. de Accuſ. l.* 1. *C. de teſt. c.* 1. *de confeſſu.* Et ex hiſce Juris teſtibus elegantes eruuntur rationes. 1. Quia fortè veniam ſperans favore vel privilegio alterius, falsò illum nominaret. 2. Vel odio aut inimicitia, ut eodem pereat ſupplicio *Cujus Exempl. vid. ap. Speidel. ſpec. voc.* Angeben der Hexen: 3. Quod nemo de proprio crimine confitentem ſuper conſcientia aliena audire debeat. 4. Quia ſocius ex propria delicti confeſſione, eſt factus infamis. Ex his aliisque rationum momentis ſocius regulariter arcetur à Denunciatione. *Iul. Clar. ſent. lib.* 3.

c. 11. *n* 16. Memorabiles autem hujus præcepti advertendæ ſunt Exceptiones. Facinora enim quædam eſſe non ambigitur, quæ ab eorundem ſociis denunciari, ac comprobari poſſunt, quorum 1. Eſt crimen læſæ Majeſtatis. 2. In crimine læſæ Majeſtatis divinæ. *c.* 1. *de confeſſ.* 3. In crimine falſæ monetæ. *l.* 1. *C. de falſ. mon.* 4. Item in crimine Maleficii, *l. ult. C. de Maleſ.* 5. In crimine nefando contra naturam, *argumento prædictorum.* 6. In furto famoſo. *l.* 10. *C de feriis.* Et denique pluribus aliis delictis etiam præter illa à gloſſa enumerata, cum regulariter verum ſit, quod in ſceleribus, quæ occulte perpetrantur, aut veriſimiliter committi ſine ſociis non poſſunt, ſocius & criminis particeps fide dignum præbeat teſtimonium. *vid. Auguſt. ad Angel. de Maleſ. in verbo & Sempronium n.* 5. *Gloſſ. ad l.* 10. *C. de feriis, & Doctores communiter ad l. fin. C. de Accuſ. Iul. Clar. ſent. lib.* 3. *q.* 21.

CAP. II.

De Interrogatione Sociorum.

I.

RECtè autem hoc loco quæritur: An in gravioribus, ſupra memoratis, aliisque delictis, reus inquiſitus interrogari poſſit de ſociis? Hac in quæſtionis deciſione, illa diſtinguendi debet obſervari ratio, quod, ſi ſervus ſit criminis cujusdam reus, indiſtincte poſſit interrogari, quia veriſimiliter non eſt præſumendum, quod auderet perpetrare ejusmodi facinus, ſine mandato vel juvamine alterius. *arg. l.* 4. *verſ. ſane. C. de ſerv. fug.* ſi vero liber homo ſit denunciatus, tum in delictis ſpecialibus partim ſupra memoratis, non in aliis facinorum generibus, ſocii valere teſtimonium, Doctores plerique tradunt, *arg. l.* 10. *C. de feriis.* Ceterum *Salycet. in l. fin. C. de Accuſ.* ſatis prolixè, more ſuo, diſcriminatur, & denique concludit, quod in omnibus iis criminibus, quæ regulariter non ſolent ſine ſociis committi, inculpatus poſſit interrogari de Complicibus;

bus; Et hanc communem appellat opinionem *Anton. Gomez. c. 12. n. 16. in fin.*

II.

Furtum autem, an ſit crimen inter excepta enumerandum, in eoque ſocius interrogari poſſit de ſocio? contraria reperiuntur arbitria. *Bartol. in l. repet. 16. ff. de quaeſt.* utrumque affirmat. Doctores tamen ab hac Bartoli opinione communiter recedunt, licet in praxi in Italia, & alibi, ubi furta frequentantur, multi judicès eam ſequantur. Quam tamen conſuetudinem juri communi non convenire certum eſt, quia furtum non excipitur à lege, ſed ubi lex non excipit, & ratio non diſſuadet, excipere non debemus, *Gloſſ. ad l. fin. C. de Accuſ. ibique Salycet. Hyppol. de Marſil. conſ. crim. conſ. 22. n. 13. Iacob. Menoch. de Arbitr. jud. q. c. 474. n. 21.* Quamobrem de fure locum doctrina Bartoli non habet, niſi velimus loqui de furto occulto, propter difficultatem probationis, & quia hujusmodi furta enormia ſine ſociis perpetrari non poſſunt; *Carpz. pract. Crim part. 3. q. 121. Ioh. Zanger. de tortur. n. 75. Petr. Binsfeldius in tract. de Confeſſ. Malef. 221.*

III.

Jam nobis obveniunt interrogationis quædam præcepta, tanquam optime animadvertenda requiſita, ſine quibus judex de ſociis reum interrogare nequit. Eſt autem 1. Quod reus inquiſitus non debeat interrogari de criminis Complicibus particulariter & in ſpecie, ſed generaliter, qui ejus in delicto fuerint ſocii, quia alias non eſſet quærere ſed inicitare & ſuggerere, *arg. l. 1. §. 21. ff. de quaeſt. ibique Doctores. De quo ita habent verba Car. V. in ord. crim. §.* Erſtlich *art. 31.* daß dem ſager die beklagte Perſon in der Marter mit Namen nicht fürgehalten/ und alſo uff dieſelbe Perſon ſonderlich nicht befraget oder gemartert worden ſey/ ſondern daß er in gemein gefraget/ wer ihme zu ſeiner Miſſethat geholffen/ den beſagten von ihm ſelbſt bedacht und benant habe. *vid. Carpz. rer. crim. q. 121. n. 12. Menoch. de Arbitr. jud. quaeſt. lib. 2. cent. 5. q. 474. n. 53.* 2. Ut fiat interrogatio in tortura. *Ord. crim. Car. V. art. 31. verſ.*

in

in der Marter &c. nam extra torturam nominanti, fides non habetur, cum ſocius ſit & delecti particeps, *l. 11. C. de teſt. l. ult. C. de Accuſ.* 3. Ut reus qui criminis ſocium nominavit, interrogetur ulterius, de loco & tempore, quo ſocius auxilium præſtitit, aliisque circumſtantiis, ex quibus judex deprehendere poteſt certitudinem, prout imperatur *in Ord. crim. d. art. 31.* §. Zum andern / *ibi*: zum andern gebühret ſich / daß derſelbe Sager gar eigentlich gefraget werde / wie? wo? und wann ihm der beſagte geholffen / und waß Geſellſchafft er mit ihme gehabt habe &c. 4. Requiritur quoque ut reus interrogetur de tractatibus cum ſociis transactis, quænam de patrando maleficio inter ſeſe habuerint conſilia: Daß ſie vor allen dingen zu befragen / wie? wo? und welcher geſtalt ſie ſich zu ſolcher übelthat untereinander verglichen / was für Wort und Reden ſie bey ſolcher Vergleichung gebraucht / und wie dieſelbe eigentlich gelautet. *Menoch. de caſ. 474. n. 58. & 59.* 5. Ut judex diligenter inquirat, utrum reus, cum eo, quem dicit ſocium, graves ſimultates ac inimicitias exerceat; quibus deprehenſis, reo ſocios inculpanti, tanquam adverſario, & inimico, fides facienda non eſt, *d. art. 31.* Nam inimicum inimico nocere velle, & verbis & factis, præſumitur *l. 1. §. 24. ff. de quæſt. Blanc. de indiciis n. 106. Zanger. in tract. de quæſt. & tort. c. 2. n. 66.* 6. Ut nominatus à reo ſocius tali ſuſpicione gravetur, ut veriſimile ſit, quod unà cum reo convicto illud crimen commiſerit. *Imp. Car. V. in Ord. crim. art. 31.* §. Zum vierten / daß die beſagte Perſon alſo argwöhnlich ſey / daß man ſich der beſagten Miſſethat zu ihr verſehen möge. *Ioſeph. Maſcard. de probat. Vol. 2. conſ. 1311. n. 16. & ſeqq. Matth. Steph. ad dict. art. 31. n. 7. Menoch. d. caſ. 474. n. 42.* Ultimum denique eſt adminiculum, ut reus in ſocii criminis inculpatione perſeveret, eamque non revocet aut vacillet *de art. 31.* Zum fünfften / So ſoll der beſager auff der Beſagung beſtändig verbleiben. Nam vacillans, mox affirmans, mox vero negans, perjuro non abſimilis eſt, ac proinde, neque ad torturam,

neque

neque ad inquiſitionem ſufficiens indicium præbet. *Farinac. in prax. Crim. lit. i. tit. 5. q. 43. n. 56. Weſenbec. in Paratit. ff. de quæſt. n. 12.* perſeverare autem dicitur, quando non perterritus tormentis, & extra tormentorum loca, non videns illum ſocium, nominationem ſuam, iterata vice uſque ad mortem ratificet. *Matth. Steph. d. loco. n. 8.*

IV.

Culpandus itaque eſt mos præsbyterorum qui reis à confeſſionibus ſunt, qui damnatos monent, illud quod confeſſi ſunt, iterum negare, ac inficiari inſtigant: nemini enim licet contra publicam utilitatem condemnatis, & jam puniendis, quicquam opis conſiliique dare, quo ſua crimina celent ac denegent. Cum ut ſontibus parci, ita & innocentibus noceri, facile poſſit, niſi hoc ſacerdotum prohibeatur artificium, *Matth. Steph. d. loco n. 8.* Deinde nemo nec ex ſuo neque alieno dolo & verſutia levari debet. *Ord. Crim. Car. V. art. 103. c. ex inſinuatione, 50. in fin. x. de Appell.*

CAP. III.

De Effectibus Denunciationum ſociorum.

I.

HUjus Denunciationis Complicum unus non eſt idemque effectus. Simplex enim ſociorum inculpatio, indicium ad inquirendum i. e. aſſumendum alias informationes, contra eum, qui ab ipſo nominatur, operatur ſufficiens; Et procedit hæc opinio, ſive delinquens illum ſocium nominaverit, ad interrogationem judicis, ipſum in genere interrogantis, an illum ſponte nominaverit: Puta quia poſtquam confeſſus eſt, ſe Titium occidiſſe, judex jubeat illum narrare, quomodo occiderit, & maleficus dicat, quod tali die ipſe & Petrus, tali modo illum interfecerint. Nam utroque caſu, talis nominatio aperit judici viam, ad inquiſitionis actum, ac aſſumendum alias informationes, contra Petrum inculpa-

 tum;

tum; Neque puta faciendum eſſe diſcrimen, inter delicta excepta & non excepta. *Blanc. de indiciis n. 389.* quamvis *Ruin conſ. 147. num. 1. in fin. lib. 5.* falſo nimis exiſtimet eſſe communem opinionem, quod in caſibus non exceptis, Denunciatio hujusmodi nullum faciat indicium; neque ad inquirendum, neque ad procedendum, ſive id ſponte dixerit ſive ad interrogationem judicis, *quemque ſequitur Roland. conſ. 147. n. 1. in fin. lib. 5.* ſed ego arbitror contrariam opinionem magis eſſe communem. *Et Iul Clar. ſent. lib. 5. q. 21. n. 4.* inquit, ſe ſemper de conſuetudine ſic vidiſſe obſervari: ratio quoque adeſt ſatis ponderoſa: hoc enim caſu dictum ſocii non eſt dictum teſtis, ſed tanquam Denunciatoris, quod tantummodo judici aperit viam ad inquirendum ſimplicem: Nam ad transmittendam chartam ſive libellum inquiſitionis, an ſufficiat? dubium adhuc eſt maxime controverſum. Tutiſſima tamen ſunt eorum caſtra, qui opinantur, ſocii criminis enunciata, non modo ad fundandam ac inchoandam, ſed etiam formandam, atque transmittendam ſufficere inquiſitionem, ita, ut, accedentibus quibusdam indiciis, teneatur perſonaliter comparere, & defendere ſuam cauſam. Transmiſſio autem hujusmodi inquiſitionis, citationi prorſus convenit. Nam per inquiſitionem, ſive priorem proceſſum informativum, elicitur titulus & facti ſpecies, qui poſtea enarratur in iſta inquiſitione formata, & ſic in ſcriptis redacta, transmittitur reo in vim citationis, & libelli; cujus formam eleganter conſcriptam *vid. ap. Iul. Clar. ſent. lib. 5. q. 31. n. 8. Et ſic Doctores communiter tenent. Boſſert. in tit. de indiciis n. 182. & in tit. de inquiſitione n. 44.* Bene tamen eſt animadvertenda hujus concluſionis limitatio, nempe, quando talis ſocius, ultra illud crimen, quod confeſſus eſt, etiam perjurus eſſet: nam illo caſu, Denunciatio ejus, nullum operatur indicium, ad transmittendam inquiſitionem, ſed tantum ad aſſumendas informationes, ſufficiens. *Roland. conſ. 73. lib. 1. n. 18.*

II.

Jam Cardinalis ſequitur quæſtio ſatis ſuperque controverſa, An ejusmodi criminis ſociorum denunciatio, indicium

cium

cium ad torturam faciat ſufficiens? Tutius atque accuratius ſentientes, affirmativam opinionem patrocinantur, hac tamen limitandi ratione moderatam, nempe ſupra memoratis, aliisque Denunciationis requiſitis concurrentibus. Veriſſima igitur manet Doctorum concluſio, quod ad torturam ſufficiens indicium non ſit, ſola ac nuda rei Denunciatio, absque adminiculis illis, de quibus ſupra dictum eſt, *arg. l.* 11. *C. de teſt. c. veniens.* 38. *de teſt. l.* 4. *C. de quaſt. Ioh. Zanger. in tract. de quaſt. & tort. c.* 2. *n.* 56. *in fin. Maſcard. de arbitr. jud. q.* 2. *lib.* 2. *cent.* 5. *l.* 474. *n.* 45. *& ſeqq. Proſper Farina prax. Crim. lib.* 1. *tit.* 5. *q.* 43. *n.* 36. *&* 56. quia hominis de crimine convicti, tanquam teſtis non omni exceptione majoris teſtimonium. ad quæſtionem habendam non ſufficiat, *l.* 20. *ff. de quaſt. Car. V, Ord. Crim. art.* 31. *in pr. l.* 3. §. 5. *l.* 20. *ff. de teſt. Henric. Bocer. in tract. de quaſt. & tort. c.* 3. *n.* 45.

III.

Ceterum indicia, quæ concurrere debent cum nominatione, facta, à ſocio criminis, ut nominatus poſſit torqueri, partim jam ſupra memoravimus. Non autem contemnenda eſt eorum ſententia, judicis arbitrio relinquendum eſſe, exiſtimantium, quæ ſufficientia cenſeantur ad torturam judicia. Illud certum eſt, ad tormentorum quæſtionem procedendum non eſſe, niſi multis ſit reus oneratus indiciis; &, ut, inquit Ulpianus, argumentis penè convictus *l.* 1. §. 1. *l.* 18. §. 1. *l.* 20. *ff. de quaſt.* In criminalibus enim apertiſſimæ & luce meridiana clariores adeſſe debent probationes *l.* 25. *C. de Prob. quaq; lex verbotem canoniſata in c. ſciunt cuncti.* 2. *cauſ.* 2. *q.* 8. *Gœdelmann. de Mag. & Veneſic. lib.* 3. *c.* 10. *n.* 9. *ubi memorabilia hujus rei tradit exempla.* Interim judicis eſt officium in hujusmodi capitalibus cauſis, priusquam ad torturam procedat, acrem ac diligentem inſtituere inquiſitionem, an Maleficium, propter quod reus apprehenſus, diffamatus, ac ſuſpectus eſt, etiam perpetratum ſit, nec ne? *Hyppol. de Marſil. in pract. Crim.* §. *principium. fol.* 4. Et denique notandum, quod ſub legitimis indiciis, quoque indicantur legitima ſigna, ſuſpiciones ac præſumptiones, *Gœdelmann. dict. loco n.* 10. *& ſeq.* ubi laudat

eorum conſuetudinem, qui ſententias tam in criminalibus, quam Civilibus, non niſi ex præſcripto juridicæ facultatis, vel aliorum juris eruditorum, ferunt: in dubiis enim & obſcuris quæſtionibus, judex peritiores conſulere jubetur, *in Nov.* 82. *§. pen. & Nov.* 131. *§.* 2.

IV.

Memorabile autem juſtæ Denunciationis ſupereſt adminiculum, nempe ut reus ſocii criminis inculpationem deponat, cum ſacroſancta jurisjurandi fide, *l.* 14. *ff. de dol. præleq. l.* 9. *pr. C. de teſt. c.* 39. *x. de teſt.* quia licet quoad ſe ipſum ſit reus, tamen dum deponit contra alium, fungitur teſtis vice, quapropter non eſt admittenda fides, niſi cum jurejurando, *Iul. Clar. lib.* 5. *ſent. §. fin. n.* 10. *Carpz. rer. Crim. part.* 3. *q.* 21. *n.* 12. *& ſeqq. Hyppol. de Marſ. pract. Crim. §. dilig. n.* 62. *& ſeqq. fol.* 35. In omnibus autem his denunciationis adminiculis, ſagaci conjectura opus eſt, ac circumſtantiæ omnes ac ſingulæ diligenter expendendæ, ex quibus ſumuntur indicia; Sunt vero, ut ſummatim dicam, circumſtantiæ, quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando, ac plures aliæ quæ propter factorum diverſitatem omnes enumerari non poſſunt, *Godelmann. dict. tract. lib.* 3. *c.* 9. *n.* 17.

V.

Si vero duo pluresque criminis correi, contra aliquem deponant, quale faciant indicium, practici non conveniunt. Ad torturam ſufficiens operari communiter exiſtimant Doctores, & refert *Boer. deciſ.* 319. *n.* 17. curiam Burdegalenſem ita in quodam notario ſervaſſe, contra quem depoſuerunt duo teſtes, qui aſſerebant ſe ab eo corruptos fuiſſe: item quoque obſervatum in quodam alio de homicidio imputato, contra quem tres depoſuerunt teſtes, ſocii criminis. Et ſic in curia Pariſienſi attendi, tradit *Iul. Clar. d. loco, Binsfeld. in tract. de Confeſſ. Malef. & ſag. p.* 256. *& ſeqq.* Ceterum Doctores etiam graviſſime inter ſe controvertunt; An dictum mandatarii ſolum, indicium faciat contra mandantem, ad torturam ſufficiens? in hac quæſtionis diſquiſitione, communiter dicunt, in Aſſertione rei convicti confeſſique, de mandatore delicti,

delicti, veluti, ſi homicida dicat, Titium mandato Mævium occidiſſe; ſola hac Denunciatione, indicium ad torturam ſufficiens, hautquaquam oriri, ſunt namque Mandatarius & Mandans criminis Complices: quare fides non eſt habenda, quam concurrentibus iis adminiculis, quæ in Denunciatione ſociorum criminis, ſanctio Carolina poſtular, *Ord. Crim. dicto art.* 31. Deinde licet mandatum, de ſua natura enumerari poſſit inter delicta occulta, ac difficilis probationis, exinde tamen Mandatarius non fit integer teſtis, & omni exceptione major. *Proſp. Farin. in prax. Crim. lib.* 1. *tit.* 5. *q.* 44. *n.* 2. *Henric. Bocer. in dict. tract. de quæſt. & tortur. c.* 3. *n.* 52. *Jul. Clar. ſent. lib.* 5. *§. fin. q.* 21. *n.* 12. qui rectè opinatur nullo caſu mandatarii inculpationem facere indicium ad torturam, niſi alia concurrat præſumptio, quia alias in cujuslibet eſſet poteſtate, ſceleſti & facinoroſi hominis, facere, ut quilibet vir probus, ſubjiceretur tormentis, quod impium eſſet & abſurdum. Obſervatum tamen eſt quod in criminibus exceptis, leviores ſufficiunt ſuſpiciones, quam in non exceptis, *vid. ap. Binsfeld. dict. tract. de Confeſſ. Malef. & ſag. p.* 246. *& ſeqq.*

VI.

Jam illud nobis obvenit ſatis tritum quæſtionis dubium; An Aſſertio vulnerati, ſe ab aliquo fuiſſe vulneratum dicentis, ad torturam faciat indicium? Accuratius ſentientium, hæc eſt diſtinctio; An convaluerit vulneratus, & tunc non habet difficultatem, quia tale dictum habetur loco Denunciationis, ſive ſimplicis querelæ; ſi vero moriatur vulneratus, & uſque ad mortem in tali dicto perſeveret, de jure non facit indicium. *per l.* 2. *C. de Calumniat. ibiq. Gloſ.* Quicquid autem ſit de jure, nihilominus de conſuetudine longe aliter ſervatur. *Sanctio enim Carolina in Ord. Crim. art.* 25. § Zum ſechſten/ ita loquitur: So ein verletzter oder beſchuldigter/ auß etlichen Urſachen/ jemanden der Miſſethat ſelbſt zeihet/ darauff ſtirbet/ oder bey ſeinem Eyd bedeüret/ quæ verba Imperatoris duo potiſſimum probe innuunt obſervanda. 1. Ut moribundus certis de cauſis aliquem inculpet reum, *in verb.* Auß etlichen Urſachen/ aut quia ipſum

vidit, vel aliunde hæc præſumat. *Matth. Steph. in not. ad dict. art.* 25. *n.* 8. ſunt autem cauſæ ideo allegandæ, ut conſtare poſſit de pleno moribundi intellectu: nam effatum vulnerati nihil quicquam efficere poterit, niſi is in plenitudine ſit intellectus. *Profp. Farinac. dict. q.* 46. *n.* 1. 2. Ut vulneratus in inculpatione perſeveret, eamque morte ſua, aut jurejurando confirmet, *in verb.* **darauff ſtirbt / oder bey ſeinem Eyd bedeüret.** Quorum ſi deficiat alterutrum, inculpationem offenſi plane indicium non facere puto, quia unicus eſt teſtis non omni exceptione major. Et regulariter in re propria teſtimonium dicere prohibetur, *l.* 10. *ff. de teſt. l.* 9. *C. eod.* Et hæc eſt communis eruditorum doctrina. *Matth. Steph. ad art.* 30. *n.* 7.

VII.

Hujus autem ſententiæ incommodum eſt, quod non omnis moriens ſit ſanctus Evangeliſta, ac morientes verum non ſemper dicant: Quia tamen, major pars morientium, nititur hac præſumptione, mori ſine onere conſcientiæ, validum igitur eſt argumentum à communiter accidentibus, non à raro contingentibus, *per l.* 9. §. 8. *ff. de reb. Cred. l.* 43. §. 9. *ff. de Rit. Nupt. l.* 17. *C. de jud.* optime autem de hoc caſu judicat *Daniel Moller. l.* 3. *ſem. c.* 8. *in fin.* quod hæc omnia, judicis ſint committenda arbitrio, ut is diligenter, conſideratis facti circumſtantiis, exiſtimet, quantum vel excuſationi, vel inculpationi morientis ſit tribuendum, ſicque in practica obſervari, memorat *Carpz. part.* 3. *rer. Crim. q.* 20.

VIII.

Ceterum ſocii laici dictum contra clericum, operatur ad torturam ſufficiens aliquod indicium. Nam quamvis *in cap.* 38. *x. de tert. dicatur*, quod laicus non admittatur teſtis contra clericum in cauſa criminali; illud tamen intelligitur, quoad plenam probationem faciendam, ſed ſecus eſt quoad indicium ad torturam. Et *Bart. ad l. fin. in fin. ff. de in tit. voc.* hanc reddit rationem, quia omnia quæ probant in civilibus, in criminalibus faciant indicium ad torturam: ſed in civilibus teſtimonium laicorum contra clericos planè probat. Ergo in crimina-

minalibus ad torturam operatur indicium ſufficiens. *Hyppol. de Marſ.* §. *diligent. n.* 132. *& ſeqq. Alexand. ad l.*20.*ff. de quaſt.* Et *Bartol. ad l.* 1. §. 8. *ff. de quaeſt.* illam quæſtionem, An torti, qui de jure torqueri non poteſt, teſtimonium, indicium faciat ad torturam, exactè ſatis, ac diligenter diſquiſivit. Supereſt denique illud dubium graviter controverſum, quale indicium oriatur contra eum, qui non requiſitus ſe ingerit, in perquirendo maleſactorem? Communiter Doctores exiſtimant proprio auſu ingerentem maxime eſſe ſuſpectum, *per l.* 18. §. 5. *ff. de quaſt. l.* 25. *ff. de procur. Hyppol. de Marſil.* §. *diligenter. n.* 150. *& ſeqq.* Et refert *Paris de Puteo in tract. de ſyndicat.* bis occurriſſe, ut ille ipſe, qui dixit ſe inveniſſe occiſum, ac curiæ denunciavit, fuerit homicida. Deinde quod quidam occiderat conſocium, & ſæpe veniebat ad curiam, ac ſolicitabat, ut occiſor repeciretur; ſed ipſe demum inculpatus, ut ſuſpectus incarcerabatur, ſicque repertum eſt, quod ipſe interfecerat ſuum confratrem.

IX.

Quærenda denique eſt illa ratio, cur in delictis exceptis tanquam enormibus, non eadem requirantur ſolennia quæ in aliis criminibus? Tutiſſimum eſt eorum ratiocinium, quod enormitas facinoris operatur, ut judex poſſit transgredi jura, ac Regulas ſtatutorum; Hocque plurimis pateſcit exemplis. 1. In tali enormi crimine poſſunt teſtes recipi lite nondum conteſtata, & parte non citata, contra communem practicorum regulam. 2. Quod ſtatutum, abolitionem concedens delinquentibus, non comprehendit enormiſſimi criminis reos. 3. Enormis quoque cujusdam ſceleris reus, nullo loco eſt ſecurus, ſed poteſt undique capi. *l.* 1. *C. de Rapt. Virg. c.* 1. *de homicid. in* 6. 4. Propter enormitatem criminis Animal brutum dat pœnas. Denique ob facinoris magnitudinem die poteſt procedi feriato. *l.* 10. *C. de feriis.* pluresque alios caſus recenſet *Hyppol. de Marſil. dict.* §. *diligenter. n.* 170. *& ſeqq.*

CAP.

Cap. IV.

De Probatione, Exceptione & Revocatione Denunciationum.

I.

JUre Civili Denunciatores ſua probare denunciata teneri jam ſupra diximus, ſed longe aliter judicandum de conſuetudine: de ea enim nihil probant, ſed ſolum nomina dare tenentur teſtium. *Bertach. in repetit. verb. Denunciat.* Cum autem ſæpius per teſtes, delictum eſſe commiſſum directè conſtare non poſſit: quamobrem plurima criminum genera probantur conjecturis. *per l. 5. §. 6. ff. de re mil.* Imprimis ubi plures concurrunt ejusmodi ſuſpiciones. Generalis enim eſt regula, quod quæ clarè per rerum naturam probari non poſſunt, probentur argumentis ac indiciis. *c. preterea 27. x. de teſt. Hyppol. de Marſ. tract. Crim. §. principium fol.* 4. Quæque probatio dicitur evidens, quia evidenter apparet ex conjecturis aut præſumptionibus. *vid. Hyppol. de Marſil. pract. Crim. § principium.*

II.

In Exceptionibus bene eſt, animadvertendum, ne in excipiendo denunciatus videatur ipſum crimen confiteri, & ſic ex propria confeſſione condemnetur: Nam ſi dicas: excipio contra te, quia es ſocius criminis, videtur ipſa delicti confeſſio. Si autem ſimpliciter ac generice regerat inculpatus; Excipio contra te, quia tu hoc commiſiſti ſcelus. Vel ſi tale ſit delictum, quod ſine ſocio committi nequit, ut ſodomia vel hujusmodi alia; dicat, excipio contra te, quia te facis ſocium criminis. Et ideo nihil confitetur. Deinde elegans eſt hujus rei ratio, quia is qui proponit, regulariter non videtur intentionem confiteri adverſarii, *per l. 9. ff. de Except.* Ac pars accuſata ſeu Denunciata, magis cenſetur negare delictum commiſiſſe, quam confiteri. *Gloſ. ad l. Si filium. C. de liber Caj. ibiq; Bald. & Salycet. Gomez. reſol. tom. 3. c. 11. n. 16.*

III. Jam

III.

Jam elegans ac parum trita nobis obvenit controverſia; An Revocatio eorum, quos in tortura denunciavit, in extremo Executionis actu facta, elidat primam confeſſionem ante condemnationem dictam? *Binsfeld. in tract. de confeſſ. malef. & ſagar.* opinatur in foro exteriori talem excuſationem in extremis factam, non elidere primam confeſſionem, quia 1. eadem requiritur ſolennitas in deſtruendo, quæ exigitur in conſtruendo, nec non etiam eadem poſtulantur ſolennia in revocatione Actus, quæ in celebratione; ſed talis revocatio in articulo mortis extremo dicta, extrajudicialiter fit; ſine debita ſolennium obſervatione. 2. Quia actus fortior eſt, qui fit in Judicio quam qui fit extra judicii limites. 3. Quia rei, cùm ducuntur ad ſupplicium, & ſunt in puncto mortis, adeo concutiuntur timore, & perturbantur anguſtia necis, ut quaſi aliena mente videantur, oppreſſi enim mortis timore ſunt ſimiles mortuis. Vide hujus ſententiæ incommoda eorumque reſolutiones, *ap. Binsfeld. in dict. tract. pag. 252. & ſeqq.*

IV.

Memorabilia autem hujus rei traduntur exempla. *Hyppol. de Marſil. in pract. Crim. §. refert in pr. hoc refert.* quod quidam maleficus, jam in manibus carnificis, ac in extremis militans, hiſce vel ſimilibus verbis ad populum ſe convertens, judicem ita allocutus atque precatus eſt, ut paulatim expectet, & inquit in præſentia omnium: Rogo vos omnes, ut mihi ignoſcatis, & pro anima mea Dominum rogetis. Et quia illos denunciavi tanquam criminis participes; excuſo eos, & dico me nihil de ipſis male ſcire: quibus peractis amplius non erat verbis, quæſtionem etiam juris; An huic confeſſioni in extremis factæ fides haberi debeat? in caſu furti motam in partem negantem ſolvit. *per l. 3. §. 1. ff. ad C. Syllan.* Deinde prælaudatus Author dicto *tract. §. diligenter n. 150. & ſeqq.* aliud tradit factum: Quidam erat reus inquiſitus, de quodam maleficio, & præcedentibus contra eum legitimis indiciis, ac ſervatis ſervandis, eſt torturæ ſuppoſitus, in qua confeſſus,

E ſe com-

ſe commiſiſſe illud delictum, & dixit, quod Titius fuerit ejus facinoris ſocius: Poſtea autem ad Bancum juris ductus, ad ratificandum, omnia negavit, ac in ſua confeſſione non perſeveravit; addidit quoque, quod illud, quod dixit, propter crudelitatem torturæ confeſſus fuerit, ac repetitus in quæſtione perſeverabat in negatione. Quale autem indicium contra Denunciatum Titium oriatur, dubium videtur ſubdifficile. Tutior eſt negantium ratio; quod in ſua Denunciatione non conſtanter perſeveravit. Nam quamvis Denunciatio ſocii adſit, etiam in tortura facta; niſi tamen ipſius rei perſeverantia veſtiatur, non probari ſupra memoratum eſt. Et ſic per conſequens dictus Titius nullo gravabitur indicio ad torturam ſufficienti.

CAP. V.

De Denunciationis Affinibus.

I.

Affinis eſt Denunciationis materia, Divinatio, ſive Incantatio, quando nempe incantator aliquis conſultus, dicit, Titium tale furtum, vel aliud commiſiſſe delictum. Quale autem hujusmodi divinationes operentur indicium, maximopere diſcriminantur Doctores. Accuratius ſentiunt, qui exiſtimant, quod, quamvis ars divinandi ſit reprobata, tamen ubi magnum ex delicto immineat ſcandalum, faciat indicium ad inquiſitionem, non ad torturam ſufficiens. Nam ſi Divinator aliquem inculpat, poterit judex mittere, ac videre, qua conſtantia, quo rubore, & quo pallore loquatur, & ex hoc ſumere indicium veritatis. *vid. hujus rei memorabile Exemplum ap. Hyppol. de Marſil. dicto loco.*

II.

Quid autem dicendum ſit, ſi judex in ejusmodi divinatione Denunciatum, aut aliis indiciis ad tormenta non ſufficientibus, gravatum, torturæ ſubjiciat? Plurimi arbitrantur, confeſſionem

nem rei, quamvis ratificatam, eſſe ipſo jure nullam, *per l.20. ff. de quaeſt.* Adeo ut licet ſuperveniant poſtea indicia ſufficientia, tortura praecedente indebitè facta, non confirmetur confeſſio ex ea extorta. Et *Baldus in l. fin. C. de Accuſ.* has ſubnectit rationes. 1. Quia eſt ordo judicii perverſus. 2. Quia habilitas ſuperveniens non validat actum à principio nullum. 3. Quia ſententia ratione defectus probationum nulla, non convaleſcit, ex atteſtationibus poſtea receptis. *Gloſ. ad l. 20. ff. de quaeſt. Hyppol. de Marſil. dicto loco* §. 184. *& ſeqq.*

III.

Recte etiam hoc loco quaeritur, ſi Denunciatione facta, aliqua contra reum, quod delictum commiſerit, aliqua etiam appareant indicia pro eo, quod non perpetraverit maleficium; An vigore indiciorum contra reum exiſtentium, poterit poni ad torturam? Sanior eſt eorum opinio, non ſufficere exiſtimantium, duplici ex ratione. 1. Quia ſemper in obſcuris debemus inclinare ad benigniorem partem. *l. 9. ff. de R. I. l. 155. §. fin. ff. eod.* 2. Quia ubi duplex poteſt capi intellectus, ſemper is eſt amplectendus, per quem quis non cadit in delictum. *Hyppol. de Marſil. in repet. l. fin. C. & probat. in chart. 32. & 33.* Deniq; quia unum indicium tollit aliud & una praeſumptio tollit aliam. *l. 7. ff. de in integr. reſt. c. accidens. 8. de crim. falſ. ibiq. Gloſſa.* Nam v. gr. quando contra reum adeſt unum indicium maleficii, ſed pro reo ſit probata fama, hoc enim caſu reus non poteſt torqueri vigore illius indicii, quod contra ſe habet. *Bald. in fin. C. de probat.* An vero legitimum ſit cujusdam inculpati innocentiae indicium, quando quis in libertate poſitus, ſponte ſe in carcerem dederit? Accuratius atque aequius exiſtimantium hoc eſt judicium, ſignum non eſſe condemnendum, quod reus ſit innocens, quia nemo eſt ita fatuus ac inſanus, qui, ſi nocens ſit, & verus delicti reus, velit ſe libertate privari, & ſemetipſum carceris periculo, & infamiae macula contaminare, ſe putans celare veritatem, quae tamen mori non poteſt, niſi ſciat ſe innocentem. Loquor autem de eo caſu ubi vitae imminet poena; ſecus enim de aliis delictorum ſuppliciis judicandum eſt.

CLASSIS III.

CAP. I.

De Denunciatione ſagarum;

Von Angeben der Hexen.

THES. I.

NOn eſt exiguum inter Doctores certamen; An lamiæ in rerum naturâ, aut veneficæ dentur? Certè qui naturæ inſiſtunt principiis, talia irrident ut fabuloſa. Non enim præſumitur aliquem mortalium, cum ſciat diabolum infenſiſſimum eſſe ſui inimicum, poteſtati ac tyrannidi ejus velle ſe mancipare; Qui vero eas affirmant, in medium experimenta producunt, quorum innumera tradit *Binsfeldius in tract. de Confeſſ. Malef. & ſag.* Sunt igitur *Sagæ aut Venefici, qui rem & facta, cum diabolo conſtituta habent*; Et dicuntur **unholden/** quaſi **ohne huld/ denen niemand hold iſt/** in quibusdam terrarum plagis nuncupantur **Trutten/ auch wickherſſen vom Sächſiſchen wicken/** quod idem eſt **alß wahrſagen.** Ceterum *Aventinus lib 1. Trag. Hiſt. fol.* 83. opinatur **Hexen/** vocari ab antiqua quadam Amazonum Regina; Vocantur denique etiam ſtriges. *Beccan. in origin. v. ſtrix. Beſold. in Theſaur. Pract. verb.* **Hexen.**

II.

Jam autem videbimus, quænam harum Denunciationum fides ſit habenda? Somniant quidem plurimi, inculpationem hanc complicum. Magiæ crimini non convenire, quia ſagæ & magi ſcelera ſua plerumque peragant remotis arbitris & ſine cooperatoribus. Sed quam inepte ludunt exinde pateſcit, quia ſagæ & venefici non tantum deponant de conventiculis, conviviis & ſaltationibus ſimul habitis, ſed plerumque etiam de cooperatoribus actualibus, & maleficiis commun[i]

opere

opere ac conſilio perpetratis, aliisque facinoribus. Ideo non dubitandum, diſpoſitionem illam in *art. 31. Ord. Crim. Car. V.* etiam in ſagas competere, ſi requiſita ejus art. denunciationibus earum poſſunt accommodari. E contra vero multi reperiuntur imperiti judices, qui magorum & veneficarum confeſſioni, contra ſuorum ſcelerum ſocios ſociasque, fidem habent ſacroſanctam, ut delatos absque ulla ulteriori inquiſitione capiant, ſique è veſtigio ad nutum tyrannorum confiteri nolunt, in carcerem detrudant, torturæ ac denique Vulcano ſubmittant. Videbimus igitur, quando veneficæ alias indicant ſive proclamant, vulgo: **Wann ſie andere angeben/** quænam fides ei ſit tribuenda nominationi? Periti enim eſt judicis, hiſce in Denunciationum ſagarum materiis, cautè ac circumſpectè omnia exquirere. Teſtatur enim certiſſima rerum magiſtra, quod multæ ejusmodi ſtriges in confeſſionibus earum illuſtres ſæpe & innocentes perſonas, ſpe impunitatis, aut ex mero odio, diaboli quoque inſtinctu ac imperio, ſaltem indicaverint. Nam cum ipſis moriendum ſit, etiam aliorum quærunt exitium. **Sie ſehen gern/ wann ſie brennen müſſen/ daß auch die gantze Welt verbrenne.** Diabolus enim, ad cujus nutum vivunt, ab initio mendax ac homicida, nihil niſi interitum hominum quærit.

III.

Ad quæſtionem igitur principalem quod attinet, bene animadvertendum eſt, ſceleris ſocium regulatiter nec pro ſocio, nec contra ſocium probare. *l. fin. C. de Accuſ.* propter rationes ſupra jam memoratas. Quam autem in hoc excepto maleficii crimine, fidem faciat nominatio Magi vel Veneficæ, An ad ulteriorem inquiſitionem? an ad torturam? graviter Doctores diſſentiunt. Tutior eſt eorum opinio, tam ad inquiſitionem formandam, quam ad torturam indicium facere exiſtimantium, præcedentibus tamen quibusdam indiciis ac circumſtantiis, ſufficienter ſupra traditis. Quam etiam ſententiam tanquam receptiorem communis judiciorum Germaniæ uſus obſervat. *Conſt Crim. Car. V. art. 29. 30. & 31. Gomez. var. reſol. tom. 3. c. 11. n. 16. Maſcard. de prob. Vol. 3. Concl. 1311.*

n. 1. Dixi torturam omnem præcedere debere legitima maleficii, de quo quæritur, indicia; quæ ubi defuerint, nemo torqueatur. Indicium autem ad torturam ſufficiens Germanicè dicitur: **Redliche Anzeigungen** / quod comprehendit etiam, **redliche Wahrzeichen / Argwohn / Verdacht / und Vermuthung** / quæ paria ſunt *art.* 19. Cujus hæc ſunt verba: **Wo wir hernachmahls redliche Anzeigung melden / da wollen wir redliche Wahrzeigen / Argwohn / Verdacht / und Vermuthung auch gemeint haben.**

IV.

Falſiſſimè igitur Beſoldus à Cothmanno & Fichardo ſeducitur, quod ſentiat Denunciatos à ſagis & veneficis, non ob inculpationem, etiam qualificatam, torturæ ſubjici, ſed indicia indubitata adeſſe debere. Minimè enim *articulo* 31. *Ord. Crim.* convenit vocabulum **unzweiffentlich** / quod ibi non legitur. Neque ex ſuſpicionibus indubitatum naſci poteſt indicium. Sufficit igitur ut talis nominatio adeo veriſimilis ſit, ut ultra adminicula illa judex ex ipſo quoque teſtium numero, qualitate deponentium; & perſona eorum, contra quos deponitur, & aliis facti circumſtantiis, quaſi certò credat, nominantem non mentiri. Tortura autem fieri debet, juxta conditionem, & qualitatem ſuſpicionis, ac præſumptionem perſonæ. *Vlpianus enim. in l. 7. ff. de quæſt.* inquit quæſtionis modum magis eſt judicis arbitrari. Itaque quæſtionem habere debet ut ſalvus ſit reus vel innocentiæ vel ſupplicio, *Gœdelmann. de Mag. & Venef. lib.* 3 *c. eod.* An autem in tormentis pilos ab omni corporis Veneficarum parte abradendos eſſe, rectè cenſeant, aliis dijudicandum relinquo: Bodinus hunc explorandæ confeſſionis morem, præ ceteris comprobare videtur. De ratione hujus myſterii *vid. ap. Damhuder. in pract. Crim. c.* 37. *n.* 21.

V.

De impuberis ſocii criminis inculpatione quale indicium faciat? Doctores non conveniunt. Plerique opinantur ad torturam non operari indicium ſufficiens, ſed tantummodo ad inquirendum, ut notat *Gloſſ. ad l. fin. C. de his qui ut indign.*

Hanc

Hanc autem opinionem bene eſſe limitandam animadverto, niſi emergat caſus in quo veritas aliter haberi non poteſt: nam tali caſu fortè dictum impubenis non ſolum ad inquirendum, ſed etiam ad torturam indicium faciet ſufficiens. Nam licet minor 25. annis non debeat examinari teſtis in cauſa criminali *l. 3. ff. de teſt.* tamen judex non prohibetur, in defectum ſaltem probationis, talem minorem in teſtem recipere, quia interdum in hoc arcano ac enormi maleficii ſcelere, de veritate aliter conſtare nequit, quàm ab ejusmodi impuberis denunciatione. Nam, ut rei habeatur evidentia, à regulis juris recedimus. Et quando veritas integris non poteſt probari teſtibus; tunc admittuntur minus legitimi. Et elegans hujus rei refert Exemplum *Hyppol. de Marſil. in pract. Crim. §. diligenter. fol.* 38. de ludente, qui fuit deceptus, propter taxillos male quadratos, vel falſos, ut autem hujus deceptionis ac falſitatis habeatur certitudo, poterit etiam probari per lenones ac infames, qui ejusmodi fraudes exercent.

VI.

Quæritur autem, An Nominatio plurium ad torturam ſufficiat? Multi arbitrantur, quos allegat *Gochuſ. in proceſ. contr. ſag. q.* 9. dicta plurium criminis ſociorum ad torturam nullum operari indicium. Sunt enim unius delicti conſocii, ipſo jure infames, ideoque tali laborant defectu, qui eorum fidem non diminuit, ſed ex toto eam reddit inhabilem: quamobrem numerus non ſupplet fidem nec inhabilitatem, quia quod nihil eſt, ſupplementum non recipit. Accuratius autem ſentientium, hac in diſquiſitione, longe major eſt numerus, qui aſtruunt in hoc maximopere exoſo & exitioſo maleficii crimine, inculpationem multorum ſufficere, ac pluribus legitimè interrogatis correis nominatum etiam absque aliis indiciis torqueri poſſe. *cap. in fidei. 5. ibiq. Gloſ. de heret. in 6. Berlich. part. 4. concl. 4. n. 116. Iul. Clar. ſent. §. fin q. 21. n. 9. & 11.* Nam communi omnium authoritate, indicium unum grave regulariter ſufficit ad quæſtionis tormenta, jam autem inculpatio trium vel plurium, graviſſimum operatur indicium contra tertium. Quocirca in hoc quoque immani ſcelere

Vene-

Veneficii ſortietur ſuum effectum. Deinde propter enormitatem delicti in crimine læſæ majeſtatis, divinæ & humanæ, duorum correorum confeſſio contra ſocium vel ſocios ad torturam ſufficit, *d. cap. in fidei favorem. 5. de Heret. in 6.* Cum autem hæc maleficiorum nequitia omnia ſuperat delictorum genera, ſunt enim à fide ſceleratiſſimi Apoſtatæ, Dei potentiæ perfidi abjuratores, læſæ rei Majeſtatis divinæ, transfugæ teterrimi, proditores Dei fœdiſſimi, aſſeclæ diaboli turpiſſimi; denique diabolici venefici & impoſtores. Quis igitur negabit in nefandiſſimo hoc ſcelere duorum vel trium teſtimonium de ſe confeſſorum, contra alios ſufficere ad torturam? Quæ unicum eſt medium ad inquirendam veritatem atque indagandam rei evidentiam. Ejusmodi enim in religionem divinam peccatores, omnibus faciunt injuriam, & publicum committunt crimen. *cap. Vergentes.* 10. *& Alexander lib. 2. conſ.* 300. cardinale ſupperaddit ratiocinium quod in defectum aliarum probationum, & in ſubſidium, teſtes admittuntur non integri, inhabiles, & infames; ſed in maleficiorum crimine aliunde veritas mutuari non poteſt, ex natura ipſius facinoris; Veneficarum enim Exercitia, conventicula, ac conjurationes, de nocte fiunt, & in locis ſecretis, atque ab hominum conſuetudine remotis: quamobrem in hujusmodi enormibus & criminibus occultis, judex facilior debet eſſe ac promptior ad procedendum ad torturam, propter enormitatem enim & ſceleris immanitatem juris & ſtatutorum transgredi licet regulas. *c. 1. de Confeſſ. ibique Gloſſ. Binsfeld. de Confeſſ. Malef. & ſagar p. m. 263. Bald. ad l. Nemo deinceps. C. de Epiſcop. Audient.* Negantium denique caſtra periculoſiſſima & magis adjunctam juſtitiæ exequendæ retardationem habentia, ac ſæpius nocentiſſimos magos debitæ pœnæ eripientia. Docet ſiquidem experientia, in hoc arcaniſſimo ſcelere, rei veritatem vix alia via poſſe deprehendi, quam per inhabiles, & facinoris complices. Nam venefici non ſolent hoc crimen niſi coram conſociis perpetrare, & ſolis illis detegunt. Hancque ob rationem affirmantem ſententiam multarum Regionum praxis amplectitur. *Iul. Clar. enim dicto loco* teſtatur, per ſenatum Burdega-

degalenſem, per curiam Pariſienſem, in Ducatu Mediolani; ac Regno Neapolitano, ſic fuiſſe obſervatum.

VII.

Memorabiles autem traduntur hujus opiniones limitationes, *ap. Speidel. ſpec. pract. voc.* **Angeben**. Ut judex diligenter attendat. 1. An Denunciationes fuerint factæ in tortura vel metu torturæ. 2. An Denunciantes habeant cum inculpato inimicitias. 3. Ut ad minimum tres correi eandem denuncient, quod ſi tamen magna eſt perſonarum, nominantium ac inculpati inæqualitas; v. g. ſi honeſtiore loco natus, ab hominibus vilioribus, nominaretur, nec tres ſufficere, atque ita, aliquando, propter proſperam famam, non ſolum requirentur plures, ſed etiam pro iſta perſonarum circumſtantia, nominantes falſum dixiſſe præſumentur. 4. Ut Denunciantes Veneficæ, certam ſuæ ſcientiæ cauſam reddant. Quod nempe perſona inculpata maleficium ſive Magiam illos docuerit, aut cum illis miſcuerit ac præperaverit Venena, aut crimen hoc illis ſecreto manifeſtaverit, ſive in congregatione Sagarum ipſam viderint. *adde Gœbuſ. dicto loco.*

VIII.

Movetur denique difficultas, An Pater, filium ſuum aut filiam, denunciare teneatur, aut contra filius Patrem aut filia matrem? militat pro negantium caſtris, quod pœna ſcientis & non revelantis crimen læſæ majeſtatis, non habeat locum in patre ratione filii. E. g. ſi pater ſciat filium læſæ majeſtatis moliri crimen, ſi non revelet, non puniri de Jure Civili, & in foro exteriori; ne videatur filium offerre ad ſupplicium. *per l. 13. §. 6. ff. de re mil. ſalicit. in l. propter inſidias. 14. C. qui accuſ. non poſ. Bertach. in repert. Jur. verb. revelans.* Præſupponendum tamen eſt, quod in hereſi filius poteſt patris denunciare hereſin, ſi veriſimiliter cognoſcat, patrem non corrigi admonitione privata, ut eſt textus *in cap. literas. 14. de præſumpt.* quod autem de hereſi pronunciatur, item de Maleficii crimine ſtatuimus. refertur enim ad hæreſin, imo magis communi obeſt ſaluti, ceteris omnibus delictorum ſpeciebus, quia etſi pater filium, aut mater filiam, vel contra teneatur amare,

quantum ad vitam, plus tamen, ſecundum charitatis ordinem, conſulere tenetur animæ ſaluti, ut ad beatam reducatur vitam: Anima enim longe precioſior eſt corpore, & bonum commune Reip eſt præponendum privato. Communi quoque Doctorum opinione certum eſt, magnam ac fere infallibilem haberi fidem, hujusmodi denunciationibus à patre contra liberos aut liberorum contra parentes, factis, maxima enim eſt de veritate præſumptio. *dict. cap. 14. x. de præſumpt.*

IX.

Eſt quoque inter practicos dubium, An quando malefici à ſociis inculpentur, quod ludis diabolis inter fuerint, ſociorum nominationes faciant indicium ad torturam ſufficiens, etiamſi non fiat mentio, quod hominem aut equum necaverint, aut damna intulerint alia? Minus acuratè ſentientes diſtinguunt; Inculpationes plurium nullum facere indicium, ſi tantum denuncientur, quod conventiculis & ludis diabolicis inter fuerint, ſi autem homines necaverint, tunc ſuſpiciones operari ad tormentorum quæſtionem ſufficientes. Sed quam frivola hæc ſit diſcriminandi ratio, cuilibet pateſcit, nam quis ignorat, maleficii ſcelus, homicidio, imo omnibus criminum generibus eſſe majus; ſceleratiſſimè enim divinam lædunt majeſtatem; Deo ejusque abrenunciant Regno, quis etiam neſcit? neminem mortalium, conventus, & congregationes frequentare diabolicas, qui non prius divinum ac ſummum abnegaverint numen, pacta ac ſocietatem cum dæmone inierint, & ad omne malum animum habuerint paratum; Quamobrem qui in ludis apparent diabolicis ſunt perfidi in fide ac religione Dei abjuratores. Ac ideo ſocii eorum, eos denunciantes, plus merentur fidei, quam ſi dicerent, eos hominem aut equos necaviſſe. *vid. Hujus opinionis commoda & in incommoda. ap. Binsfeld. dict. tract. pag. 277.*

X.

Quæritur denique, An Denunciationes plurium ad condemnandum faciant indicium? Tutius eſt eorum arbitrium, qui opinantur, non ad condemnationem ſed tantum ad torturam indicium operari ſufficiens, quia contra eos datur exceptio, non enim